

quam in *Cod.* nostro non parum mendosum fit, medelam tamen

hinc inde impressis adferre posset. Subscriptum est:

Finis adest operis mercedem posco laboris.

II. fol. 109. minio: *De sanctitate meritorum et gloria miraculorum beati karoli magni ad honorem et laudem nominis dei.* Tractatum hunc alius itidem *Bibliothecae Aug. Codex* inter *Historicos profanos* numero DCLXVI. exhibet, quem *Lambecius* L. II. p. 329. recensendo aliquo nos labore levavit. *Lambecii* recensum in *Analestor. Vindob.* T. I. col. 468. *Kollarius* transtulit, subiecto *Gentiloti* iudicio, qui *Bollandi* ad diem XXVIII. Jan. sententiae innixus totum opus otiosi ac frivoli hominis centonem ex *Eginbardo* aliisque *Carolo* coaevis et sinceris Scriptoribus, simul et ex vanissimis *Pseudo-Turpini* fabulis contextum statuit, quibus cordatus quisque inspecto *Codice* calculum facile adjiciet. Ut tamen horum virorum dicta breviter colligamus, opus in tres *Distinctiones* abit, quarum cuilibet *Prooemium* praefixum est. Capita omnium trium *Distinctionum* Prooemio primo subiecta sunt, e quo discimus, Autorem Anonymum tempore *FridERICI* I. Imp. atque adeo circa an. 1165. quo elevatio, translatio et canonizatio *Caroli M.* facta est, scripsisse *Micrologum*, cujus a se de eodem *Carolo* conscripti meminit, a praesenti opere diversum non putamus. Initium hujus Prooemii est: *Etsi passim et va-*

rie odoris pigmentarii veneranda orthodoxi Karoli Magni celebratur memoria &c. Exemplar utriusque Codicis aequaliter procurrit usque ad *Dist.* III. c. 4. Hic vero interpolationes, transpositionesque incipiunt. Exemplar praesens in his verbis fittit: *in remedium anime suae suorumque instituit.* Alterum integro *Capite* superat, ut suo loco dicitur. Plura, ut diximus, *Lambecius* et *Gentilotus* supracit.

CCLXVII. VII. B. 7.

Codex membraneus lat. Sec. 84 XII. Folior. 190. f. nitide scriptus et rubricis distinctus continet *S. Paterii* Rom. Ecclesiae Notarii et *Secundicerii*, Scriptoris Sec. VII. *Expositionem V. T. ex Libris Gregorii M. Pont. Rom. concinnatam*, suasore ipso beato Viro, cui familiaris fuit. Praemittuntur I. *Decretum* de Testium numero ad condemnandum Episcopum, Presbyterum, Diaconum &c. requisito ex *Concilio Rom.* sub *Silvestro* I. quod incipit: *Et Episcopus vel presbyter non dampnetur &c.* extatque apud *Labb.* T. I. *Concil.* col. 1542. II. *Decretum*, quo varii ab excommunicatione eximuntur, ex *Concilio Rom.* IV. sub *Gregorio* VII. celebrato an. MLXXVIII. quod incipit: *Quoniam multos peccatis nostris*

nostris exigentibus &c. extatque itidem apud *Labb. T. X. col. 371.* III. *Testimonium* de Familiaribus *S. Gregorii*, atque inter eos *Paterio*, depromptum e *vita Gregorii* per *Johannem Diac.* scripta *L. II. c. 11.* hoc initio: *Prudentissimus Rector Gregorius &c.* et fine: *paterium eque notarium qui ab eo secundarius factus ex libris ipsius utilissima* (Edit. Paris. 1705. *utillima* legit) *desloravit.* Adjecit Librarius noster: *que in hoc libro scripta sunt.*

Itaque: *Incipiunt capitula testimoniorum veteris testamenti.* Eadem ut plurimum cum impressis, sed hic tantum in *Genesin.* Post *Elenchum* hunc: *Incipit Prologus Paterii. Dum Beatissimi atque apostolici Gregorii pontificis nostri uestri quoque ad deum* (Paris. *addam*) *nutritoris dicta sepius lectione percurrerem &c.* Non multo ante finem plenius ac melius legit Noster: *et in quibusdam sicut res expetiit typice. in quibusdam moraliter. in quibusdam etiam bystorice,* quam Parisina. Post Prologum litera miniata sequitur: *In nomine sancte trinitatis incipit liber testimoniorum ueteris testamenti quem paterius de opusculis sancti Gregorii pape urbis rome cum summo studio excerpere curavit.* Contentione instituta cum praedicta *Editione Paris.* cujus *T. IV.* Opus nostrum habetur, speciminis loco quaedam monere visum est. *C. IV.* verba ultima *Paris. arborem protectionis adhibeat,* nobis ferat. *C. XV.* in nostro, ut in pluribus Mfs. deest.

C. XIX. nobis *XVIII.* melius terminatur a nostro: *disceret quid elatus amisisset.* *C. LII.* brevissimum noster omittit, ut alii Codices. *C. LXVI.* nobis *LXIV.* pro: *Vigilanti etenim corde dormit, qui &c.* noster habet: *Vigilanti etenim corde corpus dormit, quia &c.* *C. seq.* initio haec verba absunt a nostro: *Jacob qui angelum tenuit, uno pede mox claudicavit.* *C. LXXIV.* aliquot linearum cum aliis Mfs. pariter non agnoscit noster.

A. Fol. 37. p. 2. *Incipiunt capitula libri exodi.* Praemittuntur argumenta *Capp. LVII.* cum *Parisina LXII.* censeat. Itaque subito deest *C. III.* quod *Mauriani* a suis quoque Mfs. abesse testantur. Initio *C. VII.* nobis *VI.* pro *de administrato per angelum ministerio* legimus *de ministracione per angelorum ministeria.* *C. XI.* rursus abest a nostro et aliis Codd. Similiter et *C. XVII.* paucarum linearum. Vocem *praemissum,* quae initio *C. XIX.* in impressis occurrit, delevit noster. *C. XX.* nobis *XVII.* melius cum nostro sic finies: *in oblatione dei primogenitum asini ove mutavit.* Initium *C. seq.* *Dum de dispensatoria mutatione noviter ex interno moderamine ad conversionem venientium tractaretur &c.* fortasse malis cum nostro legere: *Dum de interno moderamine de dispensatoria inuitatione noviter &c.* *C. XLII.* a nostro, et *Maurianorum Codd.* abest. *C. XLVIII.* nobis *XLIV.* impressi habent hanc clausulam: *Sancti itaque Aposto-
li*

li — in solo fundamenta, quam non habet noster. C. LIV. nobis L. nescio, an non aptius cum nostro legatur: *de distinguenda vi diuinę iracundię*, quam cum impressis: *de extinguenda diuina iracundia*; maxime si conclusio hujus C. perpendatur. C. LVII. nobis LIII. initio nec *de visione scientiæ*, nec *de diuisione scientiæ* quidquam valet, sed prout noster legit: *de visione diuinę essentię*.

A Fol. 65. p. 2. *Incipiunt capitula libri leuitici*. Numero nobis juxta et Parisinis XV. C. XI. plus quam 10. lineis nobis prolixius est; a fine enim sic procedit: *In expositione testimonii libri numeri inuenies integram sententiam ubi dicit de rufa uacca — caritas ad ultimum multiplicatur*. Variat et in aliis frequenter lectio.

A Fol. 73. p. 2. *Incipiunt capitula Libri numeri*. Nobis et Parisinis XXIV. C. XXI. nobis finitur: *qui cadens apertos habet oculos*. In impressis plus quam 9. lineis ulterius excurrit.

A Fol. 85. *Incipiunt capitula libri deuteronomii*. Parisini XXVIII. nos XXIV. numeramus. C. XVII. *de remittenda proximorum injuria* nobis deest. C. item XIX. et XX. brevissima. Denique et XXIII.

A Fol. 94. *Incipiunt capitula libri ihesu naue*. Censentur tantum II.

A Fol. 95. p. 2. *Incipiunt capitula libri iudicum*. Sunt numero VIII. Maxime et hic et alibi

ingressus *Capitum* ab impressis differunt.

A Fol. 100. *Incipiunt capitula libri regum ex ordine facta*. Sunt vero Libri I. Parisinis numero XV. nobis uno pauciora, et quidem ob defectum *primi*. C. VII. nobis VI. sub initium melior est nostra lectio: *de bono humilitatis*, quam Parisina, *de bono obedientiæ*.

A Fol. 107. *Incipiunt capitula libri regum secundi*. Utrunque XV. Finis C. XI. Parisinis: *non vult vindicare*, nobis: *non vult videri*.

A Fol. 116. *Incipiunt capitula libri III*. Parisinis numero XIII. nobis XIV. nam C. *ultimum* nobis in duo sectum est, Capite novo ab illis verbis: *Is qui uitam reprobam non vitat* (nobis *non mutat*) exordiente.

A Fol. 122. p. 2. *Incipiunt capitula libri Regum. quarti*. Horum cum Parisinis XI. numeramus.

A Fol. 127. p. 2. *Incipiunt capitula. In libro Psalorum*. Elenchus Parisinus horum CCLXXXVII. noster vero tantum CLXXXV. prodit. Itaque nostro desunt sequentia: 5. 7. 9. 11. 12. 16. 17. 19. 24. 27. 33. 35. 37. 43. 44. 45. 50. 51. 55. 56. 60. — 62. 73. 74. 76. 82. 90. 98. 101 — 104. 123. 124. 128. 133 — 135. 147. 149. 157. 158. 161. 168 — 170. 174. 179. 181. 185. 192 — 194. 196 — 199. 200 — 202. 205. 207. 210 — 212. 215. 218. 220 — 222. 225. 228.

230 — 234. 239. 242. 245. 246. 248. 251 — 257. 259. 260. 264. 268. 273. 277. 278. 282—284. Quae *Capitula*, cum plerumque et admodum brevia sint, et in Codicibus a *Maurianis* adhibitis pariter deficient, suspicari quis possit, ea successu temporis *Paterio* subposita fuisse. C. praeterea LIX. nobis XXXIX. item CXLII. nobis CII. et CCVIII. nobis CXLIV. in impressis prolixiora sunt; ut frequentem *Lectio*nis diversitatem taceam.

A *Fol.* 174. p. 2. *Incipiunt Prouerbia Salomonis.* Hic vero nulli jam nobis *Capitulorum* adpositi sunt numeri. *Mauriani* XXXVII. censent. C. III. nobis in duo sectum; XXI. vero et XXII. in unum coaluere. C. XXVII. in impressis longius procurrit. C. autem XXXV. et XXXVII. in nostro.

A *Fol.* demum 182. *Incipiunt testimonia de Canticis Canticorum.* XLIX. *Capitula* numerant *Mauriani*. C. I. nobis brevius IV. vero deest, uti et XIV. et XVI. XXIII. nobis prolixius, et multo magis XXXI. C. XXXII. totum abludit ab impressis; ita et XXXV. Post quod aliud noster exhibet *Capitulum*, quod ab impressis abest, sed sententias C. XVI. refert. C. XXXVI. nobis paucis constat lineis, Sequens vero impressis longius est, uti et XXXVIII.

CCLXVIII. VII. F. 26.

454 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 75. 4. nitide

perscriptus, rubricisque enotatus Iconismum praefert linearem *Gregorii M.* sedentis et adstanti *Augustino* monacho, post *Archiepiscopo Cantuariensi*, pedum pastorale tendentis; complectitur vero *Isidori Hispalen. Commentaria in V. T.* quorum inscriptio: *Exameron Ysidori.* Prologus incipit: *Hystoria sacre legis non sine aliqua prenunciacione futurorum &c.* Ordo Librorum praeposterus est; hoc enim proceditur modo: *Genesis, Leviticus, Deuteronomium, Josue, Judices, Ruth, Exodus, Numeri*, atque hic absecta sunt IV. ultima *Capitula*, quae in Edit. du *Breulii Paris.* 1601. p. 482. leguntur. Jam vero *Codex* noster Editione hac longe plenior, ideoque magni momenti est, maxime, quod ad Libros priores, *Genesin, Exodum &c.* adtinet. Id, ut quodam declarem specimine, Principium Exempli nostri adscribam. *Bre. 1. i. Genesis. In Principio Creavit deus celum et terram. Hoc duobus modis accipitur. sive in primo omnium. sive in filio per quem facta sunt omnia. Celi autem nomine angelica creatura. terrae autem informem insinuat materiem. ex qua uniuersa moles huius mundi formata est. ut alias scriptum est. Hec ita esse per hoc intelligitur. quia hoc corporeum celum quod firmamentum uocatur secunda die post conditionem lucis creatum est. et hec terra tunc formam accepit. quando ab aquis distincta est. Ipse quoque aquae tunc speciem sumpserunt. quando in unum*

sub